

CLAUDIEN

FESCENNINA DE NUPTIIS HONORII AUGUSTI (126 vers)

F_1 v.1 Princeps corusco sidere pulchrior,
 2 Parthis sagittas tendere doctior,
 3 eques Gelonis imperiosior,
 4 quae digna mentis laus erit arduae ?
 5 Quae digna formae laus erit igneae ?
 6 Te Leda mallet quam dare Castorem ;
 7 praefert Achilli te proprio Thetis ;
 8 victum fatetur Delos Apollinem ;
 9 credit minorem Lydia Liberum.
 10 Tu cum per altas impiger ilices
 11 praedo citatum cornipedem reges,
 12 ludentque ventis instabiles comae,
 13 telis jacebunt sponte tuis ferae,
 14 gaudensque sacris vulneribus leo
 15 admittet hastam morte superbior.
 16 Venus reversum spernit Adonidem ;
 17 damnat reductum Cynthia Virbium.
 18 Cum post labores sub platani voles
 19 virentis umbra vel gelido specu
 20 torrentiorem fallere Sirium,
 21 et membra somno fessa resolveris,
 22 o quantus uret tum Dryadas calor !
 23 Quot aestuantes ancipiti gradu
 24 furtiva carpent oscula Naides !
 25 Quis vero acerbis horridior Scythis,
 26 quis beluarum corde furentior,
 27 qui, cum micantem te prope viderit,
 28 non optet ultro servitium pati,
 29 qui non catenas adripiat libens
 30 colloque poscat vincula libero ?
 31 Tu si nivalis per juga Caucasi
 32 saevas petisses pulcher Amazonas,
 33 peltata pugnans desereret cohors
 34 sexu recepto ; patris et inmemor
 35 inter frementes Hippolyte tubas
 36 strictam securim languida poneret,
 37 et seminudo pectore cingulum
 38 forti negatum solveret Herculi,
 39 bellumque solus conficeret decor.
 40 Beata, quae te mox faciet virum,
 41 primisque sese junget amoribus.

F_2 v.1 Age cuncta nuptiali
 2 redimita vere tellus
 3 celebra toros eriles ;
 4 omne nemus cum fluviis, omne canat profundum.
 5 Ligures favete campi,
 6 Veneti favete montes,

7 subitisque se rosetis
 8 vestiat Alpinus apex et rubeant pruinae.
 9 Athesis trepat choreis
 10 calamisque flexuosus
 11 leve Mincius susurret
 12 et Padus electriferis admodulentur alnis.
 13 Epulisque jam repleto
 14 resonet Quirite Thybris ;
 15 dominique laeta votis,
 16 aurea septemgeminas Roma coronet arces.
 17 Procul audiant Hiberi,
 18 fluit unde semen aulae,
 19 ubi plena laurearum
 20 imperio freta domus vix numerat triumphos.
 21 Habet hinc patrem maritus,
 22 habet hinc puella matrem ;
 23 geminaque parte ductum
 24 Caesareum flamineo stemma recurrit ortu.
 25 Decorent virecta Baetim,
 26 Tagus intumescat auro ;
 27 generisque procreator
 28 sub vitreis Oceanus luxurietur antris.
 29 Oriensque regna fratrum
 30 simul Occidensque plaudat ;
 31 placide jocentur urbes,
 32 quaeque novo quaeque nitent deficiente Phoebos.
 33 Aquiloniae procellae,
 34 rabidi tacete Cori !
 35 taceat sonorus Auster.
 36 Solutus ovantem Zephyrus perdominetur annum.

F_3 v.1 Solitas galea fulgere comas,
 2 Stilicho, molli necte corona.
 3 Cessent litui saevumque procul
 4 Martem felix taeda releget.
 5 Tractus ab aula rursus in aulam
 6 redeat sanguis patris officiis.
 7 junge potenti pignora dextra.
 8 Gener Augusti pridem fueras,
 9 nunc rursus eris socer Augusti.
 10 Quae jam rabies livoris erit ?
 11 Vel quis dabitur color invidiae ?
 12 Stilicho socer est, pater est Stilicho.

F_4 v.1 Attollens thalamis Idalium jubar,
 2 dilectus Veneri, nascitur Hesperus.
 3 Jam nuptae trepidat sollicitus pudor ;
 4 jam produnt lacrimas flammea simplices.
 5 Ne cessa, juvenis, cominus adgredi,
 6 impacata licet saeviat unguibus.
 7 Non quisquam fruitur veris odoribus
 8 Hyblaeos latebris nec spoliat favos,
 9 si fronti caveat, si timeat rubos.
 10 Armat spina rosas, mella tegunt apes.
 11 Crescunt difficili gaudia jurgio
 12 accenditque magis quae refugit Venus.

13 Quod flenti tuleris, plus sapit osculum.
14 Dices o quotiens : "Hoc mihi dulcius
15 quam flavos deciens vincere Sarmatas ! "
16 Adspirate novam pectoribus fidem,
17 mansuramque facem tradite sensibus ;
18 Tam junctis manibus nectite vincula,
19 quam frondens hedera stringitur aesculus,
20 quam lento premitur palmite populus ;
21 et murmur querula blandius alite
22 linguis adsiduo reddite mutuis.
23 Et, labris animum conciliantibus,
24 alternum rapiat somnus anhelitum.
25 Amplexu caleat purpura regio,
26 et vestes Tyrion sanguine fulgidas
27 alter virgineus nobilitet cruor.
28 Tum victor madido prosilias toro,
29 nocturni referens vulnera proelii.
30 Ducant pervigiles carmina tibiae ;
31 permissisque jocis turba licentior
32 exultet tetricis libera legibus.
33 Passim cum ducibus ludite milites,
34 passim cum pueris ludite virgines.
35 Haec vox aetheriis insonet axibus,
36 haec vox per populos, per mare transeat :
37 "Formosus Mariam ducit Honorius."